

1877.

DIRIGENTE
TRINUNO NUMINE
Dissertationem hanc Juridicam

157
1641
2
5

De
TUTELIS,

Ex permissu

Magnifici ac Nobilissimi JCto-
rum Ordinis in Illustri Academia
Wittebergensi,

SUB PRÆSIDIO
Viri Amplissimi & Consultissimi


Dn. CHRISTOPHORI WACKEN,
J. U. D. Facultatis Juridicæ Adfessoris, Illustrissimæq; Vi-
dux, Principis Anhaltinæ in Coswig &c. Consilarij, Præ-
ceptoris, Promotoris, & Fautoris sui omni obser-
vantia & honoris cultu ætatem pro-
sequendi,

*Publicæ eruditorum disquisitioni
submitte*

JULIUS ZASCHLERUS MISNENSIS,
In Acroaterio JCtorum
Ad diem 16. Decemb.

WITTEBERGÆ
Ex Officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt.
ANNO M DC XLI.





P R Æ F A M Ē N.



Uod Wesembecium Jctum subtilissimi, li-
matissimiq; ingenii piguerit, in re ab usu no-
strorum judiciorum remotissima, multum o-
peræ collocare *in parat. de Vulg. & pupill. Subst.*
in fin.: Eo ipso, Autor hortatorq; esse voluit studiosis
Juris, ut in eas præcipuè partes cursum studiorum suo-
rum dirigant, quæ & ubertate & usu sint potiores. Cum-
que materia Tutelarum frequentissimè occurrat *argm.*
l. 1. ff. de susp. Tut.: eaq; quæ quotidiana, plenius sint tra-
ctanda, monente Paulo *l. 25. pr. ff. de liberat. Leg.*: ani-
mus est mihi impræsentiarum pauca pro ingenii modu-
lo, exercitii gratia de Tutelis proponere, & placidæ
Ventilationi subicere. Cumq; sine Deo nihil unquam
commodè geri possit, *Nov. 6. & 164.* sit Ipse principium,
medium, atque terminus, *Nov. 109.*

T H E S I S I.

Tutela vocula, quæ à tuendo dicta, *Wesembec. in π. b. t. n. 1.*
Treatl. sb. 1. Lit. a. disp. 8. vol. 2. Harpr. §. 2. n. 1. b. t. accipi potest
vel Generaliter & in sensu vulgari, pro quacunq; defensione, con-
servatione, atq; custodia, tam personarū, sui ipsius corporis *l. 3. ff. de*
j. & j. & alieni, ut Minorum, l. 1. in pr. ff. de minoribus quam rerum
l. 1. C. de Verb. & rerum signif. ædificiorum l. 7. §. ult. ff. solut. ma-
trio. atque juris publici l. 14. C. de Judais & Cælio: Harpr. ad pr.
b. t. n. 5. Vel Specialiter, & in sensu Jctis usitatori, ac latius qui-
dem pro ea defensione & potestate, quâ quis iis personis præst, quæ
ob imbecillitatem Judicii, morbumq; animi & corporis, res suas
administrare, nec iis superesse possunt, & uno Verbo Cura voca-
tur *l. 101. §. 2. ff. de cond. t. & demonst. Vultei Jurispr. Rom. c. 15. pag.*
mibi 140. in pr. Strictius verò, pro tuitione ac defensione pupillo à
tutore præstanda *t. t. ff. & Inst. de Tutel. & C. de testam. tutel.* quæ
significatio hujus loci propria est, & ita definitur.

Th. II.

Tutela est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter aetatem se defendere nequit, Jure civili data & permiffa, *pr. Instit. de Tutelis § l. i. D. eod.*

Th. III.

Genus Definitionis est *Vis & Potestas*. Pro VIS legunt nonnulli IUS, quod non probandum censeo, praeterquam enim, quod omnis correctio odiosa & prohibita *l. 2, §. 19 ff. de O. I.* verba subsequenta in §. 2. *Instit. & int. §. 1. ff. hoc tit.* in quibus idem Genus repetitur, hoc non admittunt, Cum tutores sint, qui eam vim ac potestatem habeant. Per VIM, non intelligitur aliqua violenta, & per potestatem aliqua Dominica aut patria ut *pr. I. de Tut.* Sed Vis accipitur pro Virtute & Efficacia juris. Potestas pro autoritate, facultate, §. 6. *Instit. de Atil. tut.* Videantur *Arumaus Exercit. Justinianeae 3. thes. 1. Forcatul. Necnomant. Dialog. 66. Andr. Gerhardi decad. 3. quest. 1. & alii.* Potestatis enim Verbum est ambiguum *l. 215. ff. de V. S.*

Th. IV.

In capite libero &c. In his, & sequentibus verbis est Differentia: Ad quem vero sint referenda, non levis est contentio. Alii ad Tutorem, *Arum. exerc. 3. q. 2.* Alii ad pupillum, *Vultej. Inst. §. 1. n. 3. b. Wesemb. π. n. 4. eod.* Alii ad utrumque, *Harprecht. Inst. §. 1. n. 11. b.* Nos ad Objectum, pupillum sc. malumus referre; (1) Quia hoc suadet subjecta materia, qua liberum dicitur, quod prorsus, & ab omni potestate, dominicâ & paternâ liberum, & sic etiam sui juris est, ut apparet *ex pr. Instit. h. t. Wesemb. π. d. loc.* Ideo, cum hæc acceptio vocabuli Tutori non conveniat, cum & filius familias, qui liber homo, & sui juris non est, tutor esse possit, *pr. Instit. qui testam. tut. dar. pos.* merito illam de pupillo tantum interpretamur. Quo facit (2) quod post definitionem demum Justinianus in §. 2. *Instit. & l. 1. §. 1 ff. h. t.* Subjecti seu Tutorum facit mentionem, quod opus certè non fuisset, si in ipsâ Definitione de iis antea cogitasset; Nec antiptosin istam *in capite*, pro *in caput*, absurdam & in usitatam esse arguit *l. 12. Tab.* in quâ scriptum erat, si furiosus est agnatorum gentiliumq; in eo, pecuniaq; ejus potestas esto. *Harpr. d. l. n. 14.*

Per

Th. V.

Per Aetatem. Specialiter in hoc Objecto aetas accipienda est, Impubertas in masculis intra 14. in foemellis intra 12. annum, ut potior hoc aetatis quam alii impedimenti, forte dementiae, habeatur ratio. *l. 3. §. 1. ff. b. t.*

Th. VI.

Jure civilis data ac permessa; Data, sc. legitima, Permissa dari sc. Testamentaria & Dativa, *Matth. Steph. Oecon. jur. civ. lib. 2. c. 15. n. 4.* Quâ occasione quaeritur, Cui ergo juri, num Naturali & Gentium, An civili sit adscribenda? Certum est, tutelam fuisse cognitam jure Gentium: *2. Reg. 10. vers. 1. & 5. 2. Maccab. 4. vers. 21. & 11. vers. 1.* Et ex eo pro manasse testatur ipse Justin. *Instit. de Attil. tut. §. Impuberes 6.* Verum, cum quid addimus vel detrahimus juri communi, jus proprium sc. Civile, efficimus *l. 6. ff. d. j. §. 1.* Ideò cum Tutela certis praecipis & Regulis apud Romanos fuerit inclusa, non dubitamus, eam ratione approbationis & informationis, Juris Civilis propriam asserere. *Vult. §. fin. Inst. de Attil. Tutor. n. 5. Harpr. in fin. eod.*

Th. VII.

Definitionem excipit Divisio. Dividitur Tutela in Testamentariam, Legitimam: & Dativam *l. 25. C. de Episc. & Cleric.*

Th. VIII.

Testamentaria Tutela est, quâ pater liberis suis impuberibus, in potestate existentibus, nec post mortem in alterius potestatem recasuris, testamento tutorem constituit *§. 3. Inst. h. t. l. 1. ff. de testam. tut. Matth. Steph. d. l. c. 16. n. 1.* Necessè igitur semper est, ad constituendam hanc tutelam, ut fiat testamento, à quo etiam nomen accepit, *l. 1. ff. de testam. tut.* Vel Codicillis in testamento expressè vel tacitè confirmatis, *l. 3. ff. eod. junct. §. 1. Inst. de Codicill. Schneidew. ad d. §. 3. h. t. n. 6.* In imperfecto autem Testamento datus tutor, non quidem est tutor ipso jure & autoritate Legis, sed à Judice debet confirmari *l. 2. C. de confirm. tut. l. 1. l. 3. ff. eod. cujus distinctionis effectum explicat Schneidew. d. l. n. 9.* Privilegium habet hæc tutelæ species, ut quam diu speratur, cessat legitima *l. 11. ff. de testam. tut.* ratio est, quia in illa fides tutoris à testatore in specie

oie est approbara, in hac à Lege in genere tantum, magis igitur Lex confidit de provisione speciali patris, quia optimum capere consilium pro liberis suis, *l. nec in ea §. fin. ff. ad L. Jul. de adult.* iisque amicissimos, fidelicissimosq; tutores eligere solet, *l. 36. in pr. ff. de excus. tut. Hillig. in Don. Enucl. lib. 3. c. 6. Lit. a.* Hinc quaestio oritur gravissima, An testamentaria dispositio valeat in tutelâ Electorali? Nos negamus, moti (1) textu expresso in Aurea Bulla c. 7. *ibi Tunc frater senior ejusdem primogeniti tutor & Administrator existat, donec senior ex eis legitimam aetatem attigerit &c.* quem textum, additis rationibus pulchrè explicat *Arum. disc. ad aur. Bull. 4. tb. 10. ubi n. 10.* ita scribit &c. Constat &c. Quod si testamento dari tutor posset, & ad extraneum Jus Regem Romanorum eligendi, si eis designaretur, deveniret, quod ne fiat, ne vè Secreta Illustrissimi Collegii in notitiam aliorum perveniant, ipsorum, vel maxime Electorum interesse videtur &c. Facit (2) quod Electoratus Lege deferatur, & cum certâ qualitate & conditione, ut futurus Elector minor 18. annis, sit in tutela proximi agnati. *Aur. Bull. d. l. in verbis, ea conditione &c.* Cui agnato non ut in *L. 12. tab.* sub conditione, si testamento nemo datus, sed indistinctè tutela defertur; quare jus ipsi semel quæsitum, sine facto suo, per testatorem, non est auferendum *l. 11. ff. de R. I. Plures rationes adducit quoque Harprecht §. 2. Inst. de legit. agnat. tut. n. 4. & seqq.* Neque probamus sententiam distinguendum inter jus dandi tutores liberum, & limitatum, hoc Electoribus competere, illud non: cum illa distinctio nullibi in jure fundata reperiatur, & textui *Aur. Bull.* adversetur: *Disq. Riemer. Exer. 3. q. 2. Bachov. & alii.* Addi potest jurispublici scriptor & propugnator perfectissimus *Linnaeus lib. 1. Jur. publ. c. 11. pag. 189. & seqq.*

Th. IX.

Legitima Tutela est, quæ deficienti tutore testamentario, à Lege certis personis defertur. *Treutl. disp. 8. vol. 2. tb. 3. Schneidevv. in pr. Inst. de legit. agnat. tut. n. 2.* Vocatur autem Legitima, non eò, quòd reliquæ non sint legitimæ, sed quod à Lege specialiter & immediatè, sine facto hominis, certæ personæ vocentur. Legitimos enim Tutores nemo dat, sed Lex duo decim Tabularum fecit

eos

eos Tutores l. 5. pr. ff. de legit. tutor: Species hujus Tutelæ recen-
sentur à Justin. Inst. tit. 15. 17. 18. & 19. Lib. 1.

Th. X

Tutela dativa est, quæ à Magistratu, cui id jure concessum
est, deficientibus Testamentariis & legitimis, imponitur. *Schultz.*
Inst. de Attil. tut. Vultej. Jurisprud. Rom. lib. 1. c. 25. p. m. 149.

Th. XI.

Causa efficiens Tutelæ est vel remota, vel propinqua. Re-
mota est Jus naturale seu gentium, ut supra ib. 5. fuit dictum. Pro-
pinqua est Lex XII. Tab. Et hæc vel mediata vel immediata. Im-
mediata causa propinqua, Lex XII. Tab. tutelam legitimam con-
stituit: Mediata Testamentariam, videl. mediante voluntate pa-
rentis, & Dativam, mediante ordinatione Magistratus. Exsur-
git hinc quæstio acerbissima, Num Tutelæ datio sit Jurisdictionis,
an verò Legis specialis? Quæstio autem intelligenda est de Tutelâ
dativâ, & quæ à Magistratu datur, non de testamentaria, quia com-
petit privatis, qui Jurisdictionis sunt expertes, neque de legitima,
quia hæc non datur, sed ipso jure competit l. 1. de legit. Tut. *Frantz.*
Ex. 3. q. 1. Dico autem Tutelæ dationem esse Jurisdictionis, non
quidem ordinariæ, sed extraordinariæ. Fundamentum distin-
ctionis habetur in l. 5. ff. de Jurisd. Et: More majorum ita compa-
ratum est, ut is demum Jurisdictionem mandare possit, qui eam
suo jure, non alieno beneficio haberet. Distinguitur ergò in hac
l. Jurisdictio, in eam, quam quis habet suo jure, & in eam, quam
quis habet alieno beneficio. Jurisdictio vero ordinaria est, quam
quis habet suo jure magistratus, eamq; exercet, & ipsi competit,
qua est Magistratus: Extraordinaria est, quam quis habet alieno
beneficio i. e. nominatim vel à Lege, vel à Scto, vel Constitutio-
nibus principum. Objicitur l. 6. §. 2. ff. de tutel. & pr. l. de Attil.
tut. & qui ex l. Jul. Ry. illa loca esse intelligenda de Jurisdictione
ordinaria non Extraordinaria. Distinguendum quoque est, in-
ter Jus civile Romanum, & inter nostrum hodiernum, de quo est
Jurisdictionis ordinariæ, & magistratui in quantum, & quatenus
Magistratus est, competit. *Vide Dn. Fibigium Colleg. Frantz. Ex.*
1. q. 1. in Vindiciis Lit. A.

Sequi-

Th. XII.

Sequitur materia tutelæ, quæ velet in qua, vel circa quam.

Th. XIII.

Materia in qua, vulgo Subjectum, sunt Tutores. Non autem omnes possunt esse Tutores. Nam nonnulli prohibentur.

1. Naturâ, ut minores 25. annorum §. 13. *Inst. de excus.* Surdi & Muti *l. 1. §. fin. l. pen. ff. b. t.* Furiosi §. *furiosi* §. *qui test. tut.* Cæcus utroque lumine *l. 3. C. qui dar. tut. pos.* Secus si uno *l. 9. C. de Excus.* 2. Lege, ut Servi *l. 22. ff. de test. tut. l. 7. C. qui dar. tut.* Servus tamen proprius testamento cum libertate dari potest §. 1. *l. qui test. tut.* Hinc enascitur spinosissima quæstio: An proprius servus simpliciter, nullâ libertatis mentione factâ, tutor datus, directam, an verò fideicommissariam libertatem consequatur? Litem movent Leges admodum inter se pugnantes, unde nonnulli planè inconciliabilem relinquunt *aiwouia*. Putamus autem, salvo rectius sentiētium iudicio, hoc nostro casu directam competere *per text. expressum §. 1. l. qui test. tut. l. pen. vers.* Cum igitur *C. de necessar. serv. hered. instit. l. 32. §. fin. ff. de test. tut.* ubi 1. Servus dicitur vindicare libertatem, fideicommissaria verò non vindicatur, sed petitur 2. dicitur statim ab aditâ hereditate liber factus, at fideicommissaria libertas ex fideicommissio demum adimpleto, & præstatione heredis, competit. 3. Servus necessariò & directò fit Tutor E. & necessariò & directò liber. Libertas autem non debetur, tanquam necessarium consequens tutelæ, sed tanquam necessarium antecedens. At cui datur fideicommissaria libertas non nisi volens & petens fit liber. *Vide Rimerum Dec. 3. q. 3. Dep Enuel. lib. 3. Com. c. 4. l. R. Hun. V. R. lib. 1. tr. 4. q. 9. Rober. Disp. 4. tb. 6. qui ad contraria argumenta respondent. Diss. Frantzck.* Servus alienus non nisi cum liber erit §. 1. *l. qui test. tut. l. 10. §. 4. ff. eod.* 2. Mulieres *l. ult. ff. b. t.* quia virile officium est *l. 16. b. t.* Excipiuntur Matres & aviæ, quæ amissis viris legitimæ præ reliquis agnatis sunt tutrices, prout disponitur *l. ult. C. quando mul. tut. l. off. fung.* Exinde tamen non sequitur, quod fructus lucrantur donec liberi adolescant, & ab iis separentur. *Carpz. Jurisp. Rom. p. 2. const. 10. def. 13. Diss. Wesenb. π. b. t. n. 5.* 3. Miles *l. 4. C. qui dar. tut.* 4. Colo.

Colonus principis *l. fin. C. eod.* & pauci alii quos vide apud *Wesfenbec. d. l.*

Num verò Creditor pupilli eiusdem hodie Tutor esse possit? (Nam de Jure veteri potuit *l. 8. C. qui dar. Tut.*) anxie disquiritur. Maximè in eam partem inclino, qui negant, Ratio (1) *Novell. 72. Rubr. pr. c. 1. 2. & 3.* ibi: Non omninò debent ad Tutelam vel curationem ejus accedere, vel si à legibus vocentur. Non erit Curator. Planè non debent ad Curationem accedere, neque Licentiam habeant tale quid agendi, &c: (2) *auth. minoris C. qui dar. Tut.* ibi: Minoris debitor, vel is, cui minor tenetur, aut qui minoris res tenet, curatione prohibetur. Quæ verba manifesto docent, talem non tantum à tutela vel cura se posse excusare sed & se non excusantem removeri tanquam suspectum; hanc enim vim habent illa verba curatione prohibetur, *Rittershus. ad Nov 72. c. 3 (3) Nov 94. in pr.* Nullus obligatus existens, minoribus autem obligatos eos habere se dicens, curam exerceat (4) Tantum excipitur Mater & Avia, ut tenet *Matthaus de Afflictis Decis. Neapol. 207.* Secus in cognatis, ut per Plotum *de in lit. jurandi §. 9. n. 9.* & Chaldas in loco statim citando, & Molina, qui idem probat, cum communi in patre, & avis, tam paterno, quam materno, nempe, ut non repellantur à tutelâ: Itaque exceptio firmat regulam, in casibus non exceptis. Creditor autem tutelam pupilli debitoris suscipiens, creditum ab initio dissimulando amittit, & perdit, *per text. de auth. min:* sitaceat, actionis sustinebit jacturam, licet alias debitum fuerit notorium, quemadmodum refertur præjudicium à *Dn. Finckelb. obs. 28* *Die weil ihr Euch/ als ihr zur Vormundschaft bestâtiget worden/ nicht entschuldiget so seyd ihr ewrer Soderung/ ob gleich sonsten dieselbe gnuagsam offenbar/ verlustigt worden.* Quanquam Scabini Lipsenses contrarium asserere videntur, apud *Dn. Carpz. p. 2. const. El. n. def. 13.* Vide *Dn. Fiebigium Ex Frantz. 3. semidec. quest. 2. & 3.* Quæstiones ex d. Nov. resurgentes, vide apud *Rittershus. d. l.*

Reliqui possunt esse Tutores, ut filius familias *pr. l. qui test. tut. dar. l. 9. ff. de his, qui sunt sui vel al. jur.* quia tutela est munus publicum, in quo habetur pro patre familias *d. l. 9.* sive locuples, sive

B

sive

sive pauper, sive bonæ famæ, sive infamis, ne videlicet poena liberet eos ab oneribus, quæ etiam honesti sufficere coguntur. *Wesemb. parat. ad b. t. n. 5. § ff. de his qui notat. inf. n. 8.*

Th. XIV.

Materia circa quam, vulgo Objectum, est vel primarium, vel secundarium.

Th. XV.

Primarium sunt pupilli, sive masculini, sive foeminini sexus. *l. 3 ff. de tut.* ubi tamen requiritur 1. Ætas, in masculis, ut sit miior 14. in foemina minor 12. annorum. 2. Conditio personarum ut sint cives Romani, & sui juris, *Donellus l. 3. Corn. c. 2.* posthumis quoque à Parentibus Tutores dari possunt, *l. 1. §. 1. ff. de Testam.* Quis autem dicatur posthumus, controversitur. Sunt, qui posthumum eum appellant, qui sit postremo post Testamentum factum à Patre, natus. Et sunt contra, qui eum posthumum dici putant, qui posthumatum, seu defunctum Patrem natus sit. Ultramque opinionem in hac materia sano sensu possum admittere: cum in pluribus causis posthumi pro jam natis habeantur *l. 7. ff. de stat. hom.* licet propriè loquendo posthumi ii sint, qui post Mortem Parentis nascuntur. Emancipato non aliter datur, nisi à Magistratu confirmetur, sine tamen inquisitione *§. ult. l. de Tut.* ita tenet *Barthol. post Dynum in l. si patronus ff. de confirm. tut. ubi Alberic. & Angel. in l. 1. Ci de Testam. tut.* An Exheredato Tutor datur? *Aff. l. 4. l. 10. §. 2. in fin. l. 26. §. 2. l. 31. ff. de testam. tut.* quia manet in potestate neque Exheredatio est modus solvendi patriam potestatem. *arg. t. t. Inst. quibus mod. jus. pat. pot. toll.*

Th. XVI.

Secundarium sunt nniversa pupilli bona. Nec enim partem unam facultatum respicit; sed totum corpus. *§. 17. l. de Excus. Tut.* ne hac ratione per multos tutela spargatur. *l. 3. §. 6. ff. de admin. tut.* Nam qui personæ Tutorem dedit, etiam rebus dedisse intelligitur. *l. pen. §. 21. de bon. poss. sec. tab.* Persona enim, velut dignior res ad se trahit;

Th. XVII.

Forma Tutelæ est vel Interna vel Externa.

Foot.

Th. XVIII.

Forma interna est, ut tutor pupillum in potestate habeat, & pupillus sub sit potestati Tutoris.

Th. XIX.

Externa consistit in Officio Tutoris, quod versatur tum in administratione rerum pupillarium, tum in autoritate præstandâ. Ut a. fiat administrator, requiritur, ut 1. ei decreto Magistratus committatur administratio, verbesserte Pollicey ordnung 1548. Tit. von Pupillen / & 1577. tit. 8. Quod in testamentariis supplet hodie plerisq; in locis Magistratus confirmatio, quæ ipsi loco decreti est Treutl. b. l. th. 5. lit. e. 2. ut conficiat in ventarium l. 24. C. de adm. Tut. l. 7. pr. ff. eod. ibi Nihil gerere ante inventarium factum eum oportet; Harpr. pr. Inst. de legit. agnat. tut. n. 7 c. 3. Præstet Juramentum, quò sancte promittat, se absque dilatione pupilli defensionem suscepturum, & omnia facturum, quæ sunt in rem pupilli l. fin. §. pen. C. de adm. Tut. Nov 72 c. ult. Verbesserte Pollicey ordnung d. l. Quod tamen moribus nostris non observatur Schn. pr. Inst. de legit. agnat. tut. n. 17. 4. Ut satisdant Subjecta bonorum suorum hypotheca Bey verpfändung ihrer Haab und Güter / so viel deren hierzu von nöthen. Wesenbec. 5. Treutl. d. l. Verbesserte Polliceyordnung. de int. vel etiam fidejussoribus datis arg. l. 4. §. 6. ff. de fidej. libert. Licet olim testamentarii Tutores ideo, quod fides eorum & diligentia ab ipso testatore fuerit ad probata, item ex inquisitione dati, quod idonei electi essent, satisfactione non onerati fuerint, pr. l. de satisd. Tut. l. 36. pr. de Excus. Tut. l. 4. C. de tut. vel Curat. qui non satis §. c. l. 27. decernimus C. de Episc. audient. Præjudicium affertur à Berlichio Decis. 141. n. ult.

Ad administrationem quoque pertinet, ut pupillum rectè educet l. 12. §. 3. & Petrus Surdus de aliment. tit. 3. q. 7. n. 2. fol. 124. & iterum tit. 8. privilegio 86. n. 4. & 5. fol. 333 ipsum ex facultatum fructibus aliat l. 3. ff. de adm. tut. Ejus patrimonium tueatur, augeat, æris alieni habeat rationem, actiones exerceat, suscipiat, tanquam bonus & diligens paterfamilias l. gratr. 10. l. 33. de adm. tut. neve indefensum relinquat l. 30. eod.

Th. XX.

Ad res pupilli rectè gerendas pertinet quoque Autoritatis præ-

præstatio: Est autem auctoritas negotii à pupillo cum alio gerendi, atque gesti, relictæ; cogniti, in quo opus est, expressa ad probatio *arg. l. 3. l. 4. 14. ff. de auctor. Tut.* Non enim semper necessaria est Tutoris auctoritas. Nam meliorem conditionem potest facere suam absque Tutore; deteriore non item, *pr. l. de Auct. Tut.* Unde Quæstio omnium intricatissima, & summè salebrosa propter Leges & opiniones Dd. diversissimas, exoritur: An, & quomodo pupillus sine auctoritate Tutoris contrahens obligetur naturaliter? Eum tamen ne naturaliter obligari autumo, propter textum expressum *in l. 59 ff. de O. & A.* nisi 1. ex re veniat actio *l. 46. de O. & A.* 2. nisi factus sit locupletior *l. 5. pr. de auct. tut.* 3. nisi dolum commiserit *l. III. de R. l. consent. Rimer. dec. 3. q. 8.* ubi simul ad argumenta contraria prolixè respondet. Quando verò tutor auctoritatem suam in negotio pupilli interponere debeat? Inter Dd. non convenit. Puto requiri, ut statim in ipso negotio, dum geritur præsens, & contractui celebrando adsit, simulq; auctor fiat *§. 2. Inst. & l. 9. § 5 ff. de auctor. tut.* Ex intervallo enim, & post tempus interposita auctoritas, nihil proficit, quia est de forma negotii pupillaris, & pars essentialis necessario sequens, quæ nullo modo abesse potest, Unde tale negotium à pupillo, sine auctoritate tutoris contractum omninò nullum est, nec potest ea superveniente confirmari; Sed debet iterum auctorante tutore ex integro tractari, renovari, & perfici, *arg. l. 7. §. 1. ff. de rescind. vend.* Nec ad rem facit, quod à Diss. objicitur. Quidnam approbare possit tutor, ubi nihil sit gestum? R. 1. Non solum, quod gestum est negotium, probari potest, sed & quod præsens adhuc geritur, *arg. l. 3. & 4. ff. de auct. tut.* Jcti verbo præsentis, non præterito utuntur. Minus obstat, *l. 25. §. 4. ff. de acqui. hered.* Præterquam enim quod Godofred. ad h. l. ista verba, perfecto negotio, interpretatur, in ipso negotio *Harp. §. 2. n. 2. Inst. de auct. tut.* integro negotio. *Erantz k. exerc. 3. quæst. 3.* perfecto, respectu actus pupilli, non contrahentium: Non incongruè quoque responderi posse existimo, Jctum ibi differentiam saltem monstrare voluisse inter Jussum ejus, qui in potestate habet, & tutoris auctoritatem quod ille semper præcedere negotium, hæc perfecto etiam negotio quod-

dammodo interponatur, non, quasi in ipso negotio, aſt tamen eo
perfecto interponi opus ſit, ſed quod comitando negotium illud
tandem concludat atque perficiat. *Wef. π. de auctor. tutor. n. 6.*
Vid. Hillig. Lib 3. c. 13. lit. G.

Th. XXI.

Finis Tutelæ indigitatur in deſenſione: Ad tuendam eum,
qui ſe per ætatem defendere nequit. Ut impubes ætas paterno
conſilio & præſidio deſtituta, tutelæ beneficio regatur & defendatur,
Conſequenter etiam res pupilli adminiſtrentur *l. 12. de Te-
ſtam. tut.*

Th. XXII.

Effectus eſt, quòd ſimul atque Tutor datus eſt, poteſtatem
gerendi liberam habeat, atque ad adminiſtrandum obligetur, &
ſuo periculo ceſſet *l. 1. de adm. Tut. dolum, latam & levem culpam
præſtet l. 7. C. arbit. Tut. l. 18. de pupill. & nat. diſt. l. 10. l. 33. de adm.
Tut. non verò leviffimam Frantzke Ex 3. q. 9. Quomodo autem
culpa Tutoris probari poſſit, Vide apud Dn. Finckel. Obſ 77. n. 12. 15.
Item quod gratuito debeat adminiſtrare, nec poſſit petere ſalarium
l. 33. ff. de adm. Tut. gratuitam enim integram & omni lucro abſti-
nentem præſtare fidem & operam debet *l. 38. de neg. geſt. niſi
ſubſit juſta cauſa, videlicet inopia Tutoris Wef. n. 4. & qui ope-
ras ſuas aliis locare ſolet, & quotidie ex operis ſuis lucratur, unde
infertur, ſi Tutor Sartor veſtimenta ſui pupilli ſarciat, quod is mer-
cedem petere poſſit, Quod extenditur ad Advocatos & alios, qui
ſuas operas pro ſalarium, locari ſolent, Vide Berlich. deciſ. 134. per
tot. Dn. Finckel. O. 62. n. 24. Similiter, quod nomina paterna exige-
re teneatur. *l. 57. ff. de adm. Tut. Item pecuniam pupillarem non
otioſam relinquere ſed eam ſub uſuris exponere cogatur, abroga-
ta Nov. 72. c. 6. Vide Dn. Finckel. Obſ. 39. Econtra pupillo rei ſuæ ad-
miniſtratio auferatur, & is ad obedientiam & reverentiam Tutori
exhibendam ſit obſtrictus, *l. 1. de auctor. tut. Wef π. de tutel. n. 6.
circa fin.****

Th. XXIII.

Affinia Tutelæ ſunt i. Cura. Cura autem eſt vis & poteſtas
adminiſtrandi bona ejus, qui ipſe ob ætatem, animi, corporis vè
vitium

vitium ea administrare nequit. Quæcunque autem dicta sunt de Tutelis, ea pleraque obtinent in Cura. Differunt tamen I. Quod Tutores dentur Testamento, Curator non §.1. *l. de Cur. l. 120. de V. S.* 2 Quod illi dentur impuberibus, hi puberibus, *pr. l. de Cur.* 3. Illi principaliter personæ, hi rebus, *l. 8. C. de nupt.* 4. Illi pupillis invitis; hi minoribus, non nisi volentibus §.2. *l. de Cur.* Nec obstat, *l. 1. §. ult. ff. de minor.* Syllogismus talis esse potest: Quibuscunque ante 25. ætatis annum non permittitur libera rerum suarum administratio, illis in vitis dantur Curatores. Atqui minoribus 25. an. non permittitur. E. Minoribus invitis dantur Curatores. Variè respondent Dd. Placet distinctio, aut minor accepit curatorem, & adhuc habet, & ipsi administratio non permittitur, *l. 1. §. ult. arg. l. 3. eod.* aut non accepit, & tunc administrationem habet *d. §. 2. Inst. de Curat;* Fundamentum hujus distinctionis est *in l. 3. C. de in integ. restitut.* 5. Tutorem habenti, tutor alius non datur *l. cum jure C. qui pet. tut. & l. licet C. in quibus casib. tut. hab. & in l. propter litem §. 4. ff. de excus. tut, §. interdum Inst. de curat.* ibi, quoniam habenti tutorem tutor dari non potest; At possunt dari plures Curatores. 6. Tutor uni certæ rei dari non potest: Curator potest dari. II. Officium orphanotrophorum, ac similibus, quia pia loca eorumque redditus & bona procurant. *Vide Wes. parat. de tut. n. 7.*

Th. XXIV.

Contraria Tutelæ sunt Excusatio Remotio, Solutio.

Th. XXV.

Excusatione solvitur tutela jure constituta: qui enim jure datus non est, ne quidem Tutor aut Curator est, ideoque excusatione non indiget *l. 13. §. 12. ff. de Excus.* Est autem Excusatio justæ alicujus causæ allegatio, quâ Tutor onus tutelæ deprecatur, ejusq; vel susceptæ jam, vel suscipiendæ *Trentl. v. 1. disp. 9. th. 1. l. 6. Vide t. 1. l. & ff. de excusat. Tut. ibiq; Dd.*

Th. XXVI.

Remotione finitur Tutela, quando tutor accusatur, tanquam suspectus. Suspectus autem est, qui non ex fide tutelam gerit §. 5. *l. de Suspect. Tut.* Qui de his cognoscere, qui postulare & postulare
lare

lari possunt; *Vide t. t. de Suspect. Tut. l. ff. ibique Dd.* Quæritur,
 An Tutor remotus ob latam culpam fiat, infamis? Negatur pro-
 pter expressum textum §. 6. *l. de Suspect. Tut.* Suspectus autem
 remotus, siquidem ob dolum, famosus est, si ob culpam, non æ-
 què. Etsi aliàs regulariter culpæ verbum simpliciter prolatum,
 levem denotet *l. 1. §. 35. ff. de pos.* Aliud tamen suadet subjecta
 materia. Cum enim dubitari non poterat, levem culpam non
 infamare, igitur Justin. eo ipso, dum culpam à dolo distinguit,
 dubitabilem casum decidere voluit, qui de levi culpâ, tanquam mi-
 nùs dubitabili, intelligi non potest, sed potius de lata, de quo du-
 bitatio erat. *Vide l. 3. §. fin. l. 5. & seqq. l. 7. §. 1. de Suspect. Tut.*
l. 4. §. l. ult. eod. Accedit, quod Edictum de his qui not. inf. do-
 lum duntaxat, coërceat. *l. 1. d. t.* Quare, quoad remotionem
 quidem æquiparantur dolus & lata culpa, non tamen quoad infamiam.
Frantz. Ex. 3. q. 8. Arumeus Disput. 16. tb. 12. Riem. Disp.
3. Corol. a. Disp. Bachov. Hunnius, Hillig. & alii Etiam si non
 negemus, cum quædam affici nota, *arg. l. ult. ff. ubi pupill. educ.*
junct. l. 24. d. V. S. Sed num nota talis statim infamabit, quod
 negamus. *In l. enim 42. de V. S.* dicitur more civitatis, ut tute-
 læ damnari quædam turpia esse, quæ etiam in idoneum homi-
 nem incidere possunt. Si igitur intelligas sibi damnationem ob
 culpam, certè dum incidit in hominem vitæ & famæ integrum,
 quomodo eundem infamabit? Si ob dolum, dum ille à viro bo-
 no procul est, quomodo sub probro civili comprehenditur?
Frantzkius d. l.

Th. XXVII.

Solutione, cujus causæ aut sunt in persona pupilli, aut Tu-
 toris, de quibus vide *t. t. Inst. quibus mod. tut. fin. ibique Dd.* Quæ-
 ritur: An Transfuga Tutor manere possit? *Aff. l. 15. de tut.* O.
 Quicumque patitur mediam capitis deminutionem, ille non ma-
 net tutor §. 4. *Inst. quibus mod. tut. fin.* Transfuga patitur me-
 diam capitis deminutionem. E Transfuga non manet Tutor.
 Minor probatur *l. 5. §. 1. ff. de cap. min.* Conclusio est contra.
 R. Vocabulum transfugæ est ambiguum modò significat eum,
 qui

qui per induciarum tempus ad eos, quibus cum nulla amicitia est, transfugit, maloque consilio, & proditoris animo patriam relinquit *l. 19. §. 8. ff. de captiv. & postlim. revers.* modò eum, qui non ut hostis patriæ transfugit, sed ut hostium explorator, ut eorum machinationes expiscetur *Gothfr. ad l. 15. l. d. de tutel.* De hoc intelligenda *l. 15. de illo adductum argumentum.* Annotarunt quoque interpretes *ad §. 4. infr.* finiri tutelam, si tutor proscrubatur, sive bannitus efficiatur, bonis simul ejusdem publicatis *Heigius ad Instit. d. l.*

Th. XXVIII.

Ad Effectum quoque pertinent Actiones Tutela res, quæ ultimo loco commodissimè possunt examinari. Præcipuæ sunt Actio Tutelæ directa & Contraria.

Th. XXIX.

Actio Tutelæ directa datur pupillo, ejusq; heredi *l. 1. pen de Tut. & rat. distrah:* qui sub administratione tutoris ætatem transegit, adversus quondam tutorem, ejusque successionem *l. 12. C. arbitr. Tutel.* cujuscunque generis tutores *§. 19. d. l. 1.* etiam honorarios *l. 3. §. 1. ff. de adm. Tut.* ad hoc, ut administrationis suæ, omniumque rerum gestarum rationem reddat. *l. 1. §. 3. d. t.* item, quicquid dolo, culpâ & negligentia Tutoris vel abest commedi, vel abest damni *l. 7. C. arbitr. tut.* Estque bonæ fidei *§. 28. Inst. de Act.* perpetua *l. 8. C. arbitr. tut.* quæ competit finitâ demum tutelâ *l. 9. §. 4. de tut. & rat. distrah.* quia & ibi dicitur, absurdum erat à Tutore rationem administrationis negotium pupilli reposci, in quâ adhuc perseveraret. *Secus ex ord. polit. Car. V. Jure Canon. & Saxon.* quo tutores singulis annis rationes reddere tenentur, quæ tamen moribus nostris ferè non nisi finitâ tutelâ exiguntur. *Schultz. Inst. de Attil. tut. in fin.*

Th. XXX.

Contrariam tutelæ actionem prætor proposuit, induxitque in usum, ut facilius Tutores ad administrationem accederent, scien

scientes, pupillum quoque sibi obligatum fore ex sua administra-
tione Datur Tutoribus, eique qui pro tutore gessit *l. 1. §. 1. ff.
de Contr. Tut.* adversus quondam pupillum, nunc a dultum, cujus
Tutelam administravit, etiamsi iudicio tutelæ directo non agatur
l. 1. §. ult. d. 1. Etenim nonnuquam pupillus idcirco agere tute-
læ non vult, quia nihil ipsi debetur, imò plus in eum impensum
est, quàm quod ei abest, nec impediendus est Tutor contrario
agere, ad hoc ut consequatur id, quod impendit, de suo in rem
pupilli *l. 3. §. 1. & seqq. ff. de contr. tut. act.* vel ante, vel post tute-
lam *§. 8. ibid.* Competit autem finitâ demum tutelâ *l. 1. §. finico
3. & l. 4. ff. eod.* Daturque heredi & in heredem perpetuo *d. l. 3.
§. ult.*

Th. XXXI.

Supersunt Actio pro tutelæ directæ & contrariæ. It. Actio
ex stipulatu rem pupilli salvam fore: Item Actio, quod falso Tu-
tore gestum esse dicetur: Item Actio de rationibus distrahendis:
Item Actio adversus Magistratum ob non exactam satisfactio-
nem, quas explicatas vide apud Oldendorp: *Cl. 4.*

*Act. 33. 34. 35. 36. 37. & apud
Wesemb. parat.*

Ad Prestantissimum Juvenem

JULIUM TZSCHASLERUM,
De Tutelis Disputantem.

Sume mares animos thesium fortissime Tutor,
TUTELASq; tuas exsere publicitus.
Testis enim Virtutis erit tibi LEUCORIS alma,
Ut dent applausus LIPSIS & AFRA suos:
Hem bene jam factum est, quod nos speravimus, euge
TZSCHASLERUS Tutor surgit ut egregius.

f. gratulabundus

M. Albertus Günzelius
Fac. Phil. Adj.

C

Sapius

Sæpius in seros homines inquirimus annos
Venturosq; procul cernimus ante dies.
Nunc scire expetimus, quæ sit fortuna Nepotum;
Quæ sint ingrata posteritatis opes.
Hinc, ZASCHLERE doces, quæ sit Tutela clientis,
Quoque patrocini tutior esse queat.

Cujus conatibus votivus
sic gratulor

Johan-Bartholomæus
Neußner.

A Stræa fertur aufugisse coelicas
Sedes, dedisseq; ultimum terris vale,
Hæc turbulenta nos premunt dum tempora,
Fremuntq; bella sæva per solum undiq;
Quibus DEÆ ruina sacra conditur.
Sed differens, Amice, docta Legibus
De sanctoribus, DEAM reducem puto,
Qua Duce rem tantam aggredi molitus es.
Tuis, Amice, gratulor laboribus,
Jubens eos fructus facere condebitos,
Qui nomini Tuo decus non indecens
Parent, Tuisq; solido sint gaudio.

L. M. Q.
f.

Amico suo jucundissimo

Johannes Schreiterus
Wurzenâ-Misn.

eus

erust
in



ULB Halle
003 862 046




3

Sb.

WPA







B.I.G.

Farbkarte #13

GENTE
NUMINE
hanc Juridicam

E L I S,

missu

obilissimi Jcto-
Illustri Academia
ergensi,

ÆSIDIO
& Consultissimi

HORI WACKEN,
Adfessoris, Illustrissimaq; Vi-
oswig &c. Consilarij, Præ-
Fautoris sui omniober-
cultu atatem pro-
ndi,

um disquisitioni
mittit

ERUS MISNENSIS,
rio Jctorum
16. Decemb.

BERGÆ
MICHAELIS Wendt.
DC XLI.

157
1641
2
5

2

